



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Triapostolatus Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

26. De Visione quam præuidit in angustiâ mentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

## CAPVT XXV.

*De consensione Regis, vt apud eos Ecclesia fierent, & quomodo Dominus Episcopus Erimbertum Sacerdotem manibus Regis commendarit.*

*Erimbertus  
Sacerdos.*

**H**Oc itaque factò, conuocato ad se Rex Domno Episcopo, quæ fuerant gesta retulit: Sicque omnium vnanimâ voluntate & consensu decreuit, vt apud eos Ecclesiæ fabricarentur, & Sacerdotes adessent, & quicumque vellet absque contradictione Christianus fieret. Dominus autem & Pastor noster quendam nepotem Simonis Episcopi, Erimbertum nomine, manibus Regis commendauit, vt suo auxilio & defensione munitus, Mysteria diuina ibidem ageret. Cui etiam Rex in præfato vico atrium vnum ad Oratorium dedit fabricandum; Dominus quoque Episcopus Presbytero ad habitandum alterum emit: præbensque idem Rex benignissimè circa Dominum Episcopum dilectionis suæ fauorem, & se fidelissimum circa Christianæ religionis cultum persistere velle promisit. Sicque per Domini gratiam his ritè peractis Seruus Dei ad sua reuersus est.

## CAPVT XXVI.

*De visione, quam præuidit in angustia mentis.*

**P**ORRò angustiam maximam mentis, quam in ipso perpeffus est itinere, Domino reuelante,

uelante; Pater noster Sanctissimus antè præ-  
 sciuit. Visum namque est illi quadam nocte,  
 quòd tempus esset Passionis Domini, & quòd  
 ille præsens adesset, cùm Dominus Iesus Chri-  
 stus à Pilato duceretur ad Herodem, & rursus  
 ab Herode ad Pilatum; denique cùm à Iudæis  
 & militibus spurta & opprobria patiens per  
 omnia membra verberibus, vt ipsi videbatur,  
 afficeretur. Ipse non sufferens sic illum puniri,  
 accurrens opposuit se post dorsum eius verbe-  
 rantibus, omniaque verbera quæ illi inflige-  
 bantur, ipse in corpore suo susciperet, excepto  
 quòd staturâ procerior, capite illo eminentior  
 videbatur. Hanc itaque Visionem miles inui-  
 ctus Christi, quid significaret, prius non co-  
 gnouit, quàm de hoc itinere reuersus mente  
 tractauit, quanta opprobria & irrisiones ibi  
 sustinuerit, & in quantâ angustia fuerit, quan-  
 tasque blasphemias in Deum illatas ibi sustu-  
 lerit. Nam quantum ad eius pertinuit animû,  
 ibi ille sine dubio pro Christo passus est, &  
 ibi Christus in Seruo suo prius sibi illata de-  
 nuo sustinuit impropria, Porro quòd caput  
 illius defendere non poterat: hoc significare  
 putabat, quia caput Christi Deus, quòd pas-  
 siones quas Sancti in hoc mundo pro Christo  
 sustinent, partim ad ipsam etiam Dei pertinet  
 Maiestatem, quas ipse in se quodammodo  
 compatiendo suscipiens ad tempus qui-  
 dem tolerat, sed quandoque distri-  
 ctè iudicat.

*Visio 3.  
 Ansgarij seu  
 prima.*

CAP.